

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4620

Auteur(s) : Guillaume du Hommet, connétable de Normandie [autre]

Bénéficiaire(s) : Saint-Fromond, Saint-Fromond, dépendance Saint-Vigor de Cerisy (prieuré)

Genre d'acte : pancarte

Authenticité : non suspect

Datation : 1239

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume du Hommet, connétable de Normandie, rénouve la pancarte des donations faites à l'église Saint-Fromond par Robert du Hommet avec l'accord de Richard (II), duc de Normandie, et par d'autres donateurs.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Musset Lucien, *Les origines du prieuré de Saint-Fromond : un acte négligé de Richard II*, BSAN n° 53, 1955-1956, Appendice, p. 483-488.

Texte établi d'après a

Quisquis bravium superne felicitatis exoptat comprehendere, cursum suum in hac vita mortali sic debet disponere, ut et gravedines peccatorum a se expediat, et adminiculis virtutum bonorumque operum se roboret et muniatur. Nam quanto quisquis in breve currendo fuerit promptior, tanto erit in perventione superior et perceptione solicitior, in felicitate glriosior. Quod a catholicis viris cognoscens, et ex corde credens, ego Robertus de Humeto, concessu domini mei Ricardi comitis Normannie, dono ecclesie sancte Marie sanctique Fromondi, ad victimum ibidem Deo serventium, quatuor carrucatas terre, ipsam ecclesiam Sancti Fromondu cum decima ejusdem ville et vineam que est de latere ecclesie, et ecclesiam Cavignaci cum omni decima ejusdem ville, et decimam de Bosflamenc, et decimam de omnibus dominiis meis, videlicet de molendinis, piscariis, de pullis equarum, de vitulis, de ovibus, de caseis, de porcis. Idem Robertus de Humeto absolvō hanc ecclesiam ab omnibus secularibus serviciis et consuetudinibus que ad me pertinebant. Concessit autem dominus meus Ricardus dux Normannie, mea p[etitione], quod ecclesia ista et ejus homines sint quieti ab omnibus secularibus serviciis et consuetudinibus que ad eum pertinebant, concedente etiam Hugone Constancensi episcopo predictam ecclesiam esse quietam et liberam ab omni synodo et circuitu et omni consuetudine.

Ex dono Guillelmi de Humeto, predicti Roberti nepotis et heredis, concessu Guillelmi regis Anglie, decimam molendinorum Virie. Ex dono Guillelmi Ruffi, terram circa novum monasterium. Ex dono Sellonis de Martigneio, duas mensuras terre. Ex dono Willelmi filii ejus, duas acras terre. Ex dono Roberti du Mesnil, totam decimam Male Silve. De dono Roberti nepotis Odonis episcopi, totam decimam de Riveria, in piscariis et herbagiis et nemore, in marisco, in teloneo.

Ex dono Ricardi de Humeto, constabularii H. regis, nepotis predicti Guillelmi de Humeto, molendinum sub monasterio, cum duabus exclusiis, et decimam de omni theloneo de Humeto, et decimam molendini Fauvel, et totum molendinum Lusche, et decimam de parco Humeti et de omnibus dominiis suis de honore Humeti ; et in dedicatione ecclesie feriam Sancti Fromondi, et XXVI acras prati, et piscariam de Virhum. Concessi autem ego Ricardus homines ejusdem ecclesie quietos a teloneo Humeti et ab omni consuetudine que ad me pertinebat, et tres acras terre apud Pulchrum Quercum, et unam acram prati, et ecclesiam de Mesnil Angoti, et omne quod habebam

in dominio in molendino de Arel, et omne nemus meum de Cespion, et decimam de molendino de Calquineio, quantum ad me pertinet, et unum modium frumenti in Calqueneio de mea firma. Item dedi terram quam habebam in campis in parochia Sancti Fromondi, et masuram Ricardi, et unam acram terre in Eschenevilla. Insuper dedi ecclesiam Sancte Marie de Dae cum decimis ejusdem ecclesie. In Anglia vero dedi ecclesiam Sancti Andree de Bondeby, et ecclesiam Omnis Sanctorum de Saxeby, cum omnibus pertinentiis earumdem, et ecclesiam Sancti Pauli et Sancti Petri et Omnis Sanctorum et Sancti Johannis et Sancti Michaelis [de Estanfort], et decimam dominii mei [de meis] castellis.

Ex donatione Matildis sororis predicti Ricardi, concessu ejusdem, ecclesiam de Sagia cum omnibus pertinentiis suis. De dono Bigoti de Humeto et filii Nigelli Hugum, IV acras terre in Riveria. De dono Jordani de Mainillo Durand, decimam de parte sua molendini There, et quatuor acras terre in Bordini et in Mart[igneio]. De dono Bigoti de Humeto, terram retro murum de Castellione, et in Bord[ini] masuram Roberti decem acras terre. Ex dono Guillelmi d'Escuris de Humeto, duas acras terre juxta parcum, et unam masuram terre in Mainillo Angoti. De dono Guillelmi de Mainillo Durandi, II acras terre in Bord[ini]. De dono Ricardi de Sancto Fromondo, [in Sancto Fromondo]. De dono Marie uxoris Radulphi [filii Nicholai], IV acras terre in Altavilla, et VIII acras terre in campus Hugeberti ... [dimidiam acram terre in Deserto], et terram quam habebat Guillelmus prepositus apud Airel ... [I acram terre in Airel] De dono Osberni Calvi, tres acras terre in Quartigneio. De dono Rogerii Bacon et Matildis matris ejus, VII acras terre in Blasneio. De dono Gaufridi de Mesnildo, unam acram terre in Cavigneio. De dono Roberti de Gennevilla, VIII acras terre, V apud Malb' et III apud Granam De dono Ricardi de Sancto Vigore et Ricardi de Groucheio, unum molendinum subtus Sanctum Nicolaum de Vill', et unum pratum apud Rubeum Fosse. Iterum vero ego Ricardus de Humeto dedi ecclesiam de Sancta Susanna, [concedente] filio nostro Bigoto. De dono Malgerii Malconvenant, ecclesiam Sancti Lauduli, [concedentibus] domino Ricardo et filio ejus Guillelmo de Humeto. Dedi etiam ego Ricardus de Humeto partem ecclesie de Gueron cum [decima] ejusdem ville que ad me pertinebat, concessu Jordani filii mei. Dedi etiam II acras terre in Longavilla. Dedi quoque ecclesiam de Tribehou, exceptis duobus garbis. Dedi quoque eidem ecclesie in positione conventus X acras in Calvalanda. Testes : [Christi]anus abbas Alneti, Robertus de Dae capellanus, Serlo capellanus, Guillelmus de Humeto, Enguerranus de Humeto, Jordanus de Humeto, Henricus de Columberiis, Silvester de Mesnildurand, Rogerius de Thera, Henricus de Fresvilla et plures alii.

Dedi etiam ego Ricardus de Humeto ecclesiam de Grafton cum omni decima ejusde mecclesie, concedentibus filiis meis. Testibus : Guillelmo de Semilleio, Rogerio Bacon, Gualtero de Cardonville, Petro de Longavilla.

Dedi quoque ecclesiam de Estainville cum omni decima que ad me pertinebat. Testibus : Gaufrido presbitero de Englescerville, Odone de Englescerville, ... Gaufrido Poilvilain, etc.

Ego autem Guillelmus de Humeto constabularius Normannie, filius Ricardi de Humeto junioris, requisitus a priore Sancti Fromondi et ejusdem loci conventu ut cartam ab antecessoribus ejusdem monasterio concessam inveteratam renovarem, habito militum et amicorum meorum consilio, pro salute anime mee et ipsorum antecessorum meorum et illorum qui prefato monasterio sua beneficia contulerunt et in posterum duxerunt conferenda, eorumdem prioris et conventus petitioni pie acquiescere decrevi, eamque cartam innovatam sigilli nostri appositione confirmavi. Actum est illud anno Domini Mo CCo XXXo IXo.